



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XCIII. S. Zacharias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

A. DCCXXXI.

S. GREGORIUS III.

GREGORIUS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit annos 10. menses 8. dies 20. Hic fuit vir valde mitis, & in diuinis litteris bene instructus, & græca latinaq; lingua pleniter eruditus. Hic in Synodo residens omnes illos anathematis vinculo innodauit, qui antiquæ Ecclesiasticæ consuetudini aduersantes Sanctorum imagines venerari contemnerent. Hic ordinauit Episcopos 80. presbyteros 24. diaconos 3.

XCIII.

A. DCCXLII.

S. ZACHARIAS.

ZACHARIAS, natione Græcus, ex patre Polychronio, sedit annos 10. menses 3. dies 14. Huius temporibus KARLOMANNVS filius *Karlomanni Francorum Regis præsentis vitæ gloriam & potestatem relinquens, clericatus iugum Romæ ab ipso Papa suscepit. Deinde ad montem Cassinum peruenit, ibique facta iuxta morem professione professionis habitum deuotè suscepit. Eiusdem Papæ temporibus Ratechifus rex Longobardorum regalem dignitatem relinquens à prædicto Papa de tonsus monachico habitu cum vxore & filiis induitur. Hic ordinauit Episcopos 35. presbyteros 23. diaconos 6. Hic in Synodo constituit, vt Episcopi cum mulieribus omninò non habitent, & presbyteri, vel diaconi subintroductas mulieres nullo modo secum audeant habere, nisi matrem, & illas, quæ suspiciones effugiunt, alioquin gradus sui priuentur honore. Item statuit, vt Episcopi, presbyteri, diaconi secularibus indumentis minimè vtantur, nisi, vt concedet, tunica sacerdotali: sed neque dum ambulauerit in ciuitate, aut in via, aut in plateis, sine indumento præsumat ambulare, nisi in itinere longo ambulauerit, quia sacerdos incedens sine operimento sibi congruo sacerdotium suum deturpat. Quod si præsumperit, communionem priuetur, donec, quæ statuta sunt, adimplere maturet. Item, vt presbyteri & diaconi non vtantur monacha, vel etiam spiritali commatre. Nam qui huiusmodi opus perpetrauerit, sciat se anathematis vinculo obligatum, & DEI iudicio condemnatum, atq; à sacro corpore & sanguine Dn. nostri IESV Christi alienum statuente Apostolica censura. Et quicumq; sacerdotum talibus communicare præsumperit, eorum consortio condemnatus sacerdotii sui honore priuetur. Si

*Caroli Martelli.

tur. Si autem hi, qui conuicti sunt admoniti declinauerint, & ab adulterio fuerint diuisi, pœnitentiæ submittantur, vt sacerdos loci prouiderit. **ITEM** de presbyteris, diaconis seu clericis, qui inter se causam habuerint, nullo modo præsumat publicis auctoritatibus interpellationem facere, nisi suo Episcopo: & si forsan Episcopus causam habuerit ad vicinum Episcopum cõfugiũ faciant iuxta canonũ statuta. Et si minimè conuenerit, vt decidatur inter eos cõtētio, ad Apostolicam veniant sedem. Si quis verò præter statuta præsumpserit agere, gradus sui honore priuetur, & ab Ecclesia pellatur, vsq; dum causa susceperit finem. **ITEM**, vt Episcopus, aut presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum sollemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo, aut presbytero Missarũ sollemnia suppleantur, sed qui initium posuit, supplicat vsq; in finem. Si quis aliter agere præsumpserit, à Dominico corpore & sanguine sit suspensus. Prædictus Papa vniuersis Episcopis, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusq; **DEVM** timentibus per Gallias & Francorum prouincias constitutis epistolam destinavit, in qua omnes commonuit, vt falsos, & schismaticos, homicidas & fornicarios sacerdotes ab ipsis expellerent.

XCIV.

STEPHANVS III.

A. DCCLII.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos 5. dies 23. Post obitum Zachariæ Papæ **STEPHANVS STEPH. II.** quidam presbyter à cuncto populo electus est, & in patriarchium inthronizatus. Qui post biduum subito alienatus obmutuit, & die sequenti defunctus est. Post hæc verò omnes vnanimiter hunc eligentes in patriarchium iuxta morem introduxerunt: erat enim amator Ecclesiarum, traditionem Ecclesiasticam firma stabilitate conseruans. Huius temporibus Aistulphus Langobardorum rex occupatis bonis Ecclesiæ multa Romanis intulit mala, sed plurima minatus est. Vnde prædictus Papa coactus Pippinum regem Franciæ postulatum auxilium adiit, contra quem venit Karlomannus frater regis quamuis monachus, malignis tamen Aistulphi suasionibus deceptus, vt eius petitionẽ in irritum duceret. Sed Deo id agente propositi inefficax exstitit, & ibi idem in Francia in monasterio à fratre statutus vitam finiuit. Pontifex verò apud regem voluntatem suæ petitionis obtinuit. Hic ordinauit Episcops 15. presbyteros 2. diaconos 2. Defunctus est autem 6. Calend. Maii.

N 2

Prædi-